

1650.  
FORTUNA RESPICIENS OBSEQUENSQ.

AC

CONJUGALIS HARMONIA,

Novellis Sponsis,

*Ornatissimo Doctissimoq; Viro,*

M. DAVIDI

CAMERARIO,

ILLUSTRIS BREGANI

PROFESSORI,

ET

*LECTISSIMÆ VIRGINI*

ROSINÆ ENTIÆ,

PRID. KAL. JUNIAS

A. C. MDCL. RITE COPULANDIS;

Vratislaviæ conceptæ,

& Bregam, vice Nuptialis Hospitæ,

ablegatæ,

*Legante*

CHRISTOPHORO COLERO.

---

VRATISLAVIÆ,

*Exprimebat* GOTTFREDUS GRÜNDER.



## ELEGIA NUPTIALIS.

**D**elicis & Amor docti quod scripserat olim  
 LIPS IUS, Aonidium flos, Charitumque nitor,  
 Ad CAMERARIADEN patrii prænominis, astrum  
 Norica quod coluit terra Machaonium:  
*Aspectu mihi grata fuit vel nomine solo,*  
*A te, quæ latum littera portat Ave.*  
 Quam semper CAMERARIA DÆ mihi Corcula, ob unum  
 Tehtona quem tellus protulit absq; pari.  
 Inter eos, & tu meritis memorande colendos,  
 Magna Machaoni lux, JOACHIME, chori.  
 In me cujus erant animi quot signa benigni,  
 In te tot mentis signa fuere mea.  
 Ac mihi dulce fuit CAMERARI & amabile pridem  
 Nomen, cum Charisin Pierisique satum.  
 Ob Patris ingenium, sine fraude doloque, vetustis  
 Moribus, antiquâ simplicitate Tui.  
 Ac amo Te pridem, propriæ dulcedine captus  
 Indolis à Charitum Pieridumque manu.  
 Quâ tibi tot mentes hominum quasi pellice castâ  
 Usibus es doctus conciliare tuis.  
 Prædicat hanc artem pia Vratulavia Mater,  
 Quæ te mellifluis nutrit alma sinu.  
 Lipsia susceptum Patriæ per brachia pullum,  
 Erudiit docto Pallados orbe sophum.  
 Hinc Viteberga tibi Sophies pia castra securo,  
 Contulit ex merito dulcis Honoris opus.  
 Post reducem genitrix & nutrix Bresla recepit,  
 Ac Musis paruit REICHELIANA Domus.  
 Donec te Scholicum concessit Bresla Magistrum,  
 Illustri semper suavis amica Brega.  
 Induit hæc in Te maternum Mater amorem,  
 Patria te gremio terra secunda fovet.



54437 Jam

Jam sat es expertus, quam sit palmaria laus hæc;  
 Posse placere Deo, Principibusq; viris.  
 Obtigit ad votum tibi fato Sparta volenti,  
 Quæ te tam fidâ sedulitate probat.  
 Occurrere boni, magnus thesaurus, amici,  
 Collegæq; tuâ pro probitate probi.  
 Obtinet hic primam Clio Lindneria palmam,  
 Quam post Nulerum Triga Ducalis amat.  
 Illustris quondam Ligie ratione Juventa  
 NATITIUS Phœnix, concolor & Senecæ;  
 Cui scholici commissa modò est Curatio regni,  
 Et causis justâ lege præesse pii,  
 Nonne prior lapidem movit, promovit eundem.  
 Ut tua constaret sors meliore loco?  
 Quam desideris LUCAS fuit obvius, ipse  
 Expositus primùm me monitore, tuis?  
 LUCAS ille mihi cultus, Phœboq; colendus,  
 Optio Pierii, nunc tibi Brega, gregis.  
 Hoc fido frueris felix & faustus Achate,  
 Cum Spartâ tædas conciliante sacras.  
 Nec jucundus abest Pylades SCHVEDLERVS Orestis,  
 præpetis ingenium nobile Mercurii.  
 Ducit at illorum procerum dux ENTIVS agmen,  
 Uranes pullus Melpomenesq; decus.  
 Hic tibi dulce tori monumentum & pignus amatum,  
 Unigenam Matris collocat Effigiem.  
 Quæ formam casti junxit cum lege pudoris,  
 Corpore pulchra quidem, pulchrior at genio.  
 Ut fluvialis Anas pennis quasi picta superbit,  
 ENTIA sic geminæ dotis honore nitens.  
 ENTIA Patre suo, REUSNERIA Matre pudicâ;  
 Quæ Gens eximios protulit ampla viros.  
 Aspicias in vultu formosi veris honores,  
 Quam sit Virgo sui nominis alma Rosa.  
 Ingeniosa sacra tractare pericla Minervæ,  
 Et curare domum, resque tenere domi.  
 Ut novit Virgo parere parentibus usque,  
 Subdita sic lenem discet amare virum.

Hos



Hos dat ei placidos moderatrix Musica mores ,  
Quam caller scitis Patre docente modis.  
Ut chelys haud blandis cordi neque fistula Musis,  
Organa quæ rerum , sed sine fine gravi ;  
Flexio sed motûs , animi moderatio rapti ,  
Quam sibi flexanimâ Musicus arte parat.  
Sic tibi dissolvat curas vel voce ROSINA  
Corditrahâ , aut modulosa docta loquace manu.  
Ac benè conveniet vobis concordia morum  
Mutua , sic operâ congrege cedet opus.  
Sit licet auspicio discors concordia cantûs ,  
Desinit at dulci consona sine toni.  
Sic quoque Conjugii turbantem gaudia cœpti  
Concentum , tandem clausula recta beat.  
Ut bene conveniat , concinnum dirige cantum ,  
Accinat ut Conjux culta tenore pari.  
Tu nervos intende manu , quò concinat illa ,  
Ac reliquum chordæ suppleat ipsa vice.  
Hisce novis fidibus motis , ratione movendis ,  
Grex erit hac suavi concitus harmoniâ.  
Proveniat similis *Cameraria turba* Catoni  
Illi , quem *Siren Lipsias* alta canit.  
Ac prisce *soboles stirpi Reusneria* surgat ,  
Par , quos *Jena* habuit , nunc *VViteberga* tenet.  
Et sic Vos Vobis Nupti , Musisque canetis ,  
Nec laus communis cum grege plebis erit.  
Accinet ipse tibi *Patareus Apollo* Parenti ,  
Aonidumque Patri concinet ipse chorus.  
Pusio prognatus *lepidis* indormiet odis ,  
Ac discet similes fingere voce rudi.  
Donec *Avi Patrisque sui* consurgat in artes ,  
Illorumve velit nomina tanta sequi.  
Fœmina vel matrem referat per pensa *Minervæ* ,  
Has inter telas ludere docta melos.

F I N I S.

